



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Incarnatio Mystica Sive Christiformitas

Roger, Nicolaus

[Erscheinungsort nicht ermittelt], Anno MDCLXXXIV.

Cap. I. Fides Incarnationis, Nuntius Mysticus Christiformitatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37940



INCARNATIONIS MYSTICÆ

PARS PRIMA.

APPARATUS AD CHRI-
STIFORMITATEM.

CAPUT I.

*Fides Incarnationis, Nuntius Mysticus
Christiformitatis.*

CRedere JESUM esse Hominem-
Deum ut fidei nostræ cardo, &
capitale dogma est, ita totius
Christiformitatis fundamētum est pri-
mumque principium. Angelus est pror-
sus à Deo missus, fides enim singulare
donum Dei, mysticam Incarnationem
prænuntians, illudque menti inculcans
(a) quia non erit impossibile apud Deum
omne verbum. Est omnino Angelus Ga-
(a) Luc. 2. A briel,

2 CHRISTIFORMITAS,
briel, hoc est, fortitudo Dei, magna-
rum enim ait Leo Papa, (b) hic vigor
est mentium, & valdè fidelium lumen
est animarum incunctanter credere,
quæ corporeo non videntur intuitu.
Et fides, inquit Guilelmus Parisiensis,
lib. de fide cap. 3. est fortitudo, vel ge-
nerositas nostri intellectus. Manife-
stum est enim quod credere improba-
bilia fortitudinis, atque vigoris est no-
stri intellectus; sicut amare damnosa,
molesta, & ignominiosa fortitudinis
est nostræ voluntatis. Quare fidem
hanc inconcussam ac benè illumina-
tam habere satagat anima Christifor-
mitatis studiosa. Huc valet plurimum
mysterii credibilitas & convenientia
multiplex. Eo porrò dogmate nihil
evidentius credibile esse clamant.

I. Ablatio sceptri de Juda ac ducis de
femore ejus Patriarchæ Jacobo Genes.
49. tot ante sæculis denuntiata sub
Messiæ adventum futura: uti & conti-
git Herode regnante non Judæo, sed
(b) *Serm. I. de Asc.* Anti-

Antipatro patre & matre gentilibus.

II. Hebdomadam 70. nempe non dierum sed annorum, proindeque 490. annorum numerus juxta Daniel. cap. 9. factam à Gabriele Incarnationis administro revelationem, usque ad Sancti Sanctorum, seu ut legunt LXX. Interpretes, Sanctitatis sanctitatum (cui obsecro nisi Deo-Homini id elogii comperit?) Unctionem, id est gratiam unionis sive esse personale divinum gratis humanitati concessum, unde Christus 1. unctus in sacerdotem, Regem, Deum, Itemque usque ad prædicationem ejusdem ac mortem definitus expletusque.

III. Prophetarum de Christi personâ, vitâ, doctrinâ, miraculis, morte, Ecclesiâ illustrissimæ vaticinationes eventu probatæ, & illorum quidem haud sanè ex condicto, utpote longo temporum intervallo diffitorum, mirifica conspiratio à quo tandem nisi ab uno afflata spiritu veritatis?

A 2

IV. Sy-

IV. Sybillarum prædictiones, quarum libros divino planè consilio Augustus Imperator purgavit ante Christi adventum, quo scilicet minus eorum suspecta fides foret, cum inde Christus probaretur.

V. Oraculorum, hoc est dæmoniorum sub nativitate Christi silentium, quod Ethnici Tullius & Plutarchus diligenter notarunt.

VI. Quid spectabile illud, hodieque horrendum in modum fumans nationis Judaicæ excidium, quale nulli post orbem conditum genti contigit? Cur Judæi carent prophetis, miraculis, tēplo, Sacerdotibus, sacrificio, quibus nunquam aliàs caruere quantumvis captivi & rei? Cur sic dispersi nisi juxta illud *pones eos dorsum* Psalm 30. ut explicat Augustinus, quo circumferant velut bajuli sacros codices, è quibus hostes ipsi vel inviti testimonium perhibeant Christo? Cur tam atroci supplicio affecti velut fraticida Cain per orbem

orbem profugi, cum aliàs nunquam, licet immanium scelerum rei, puta adorati vituli, similem vindictam senserint, cur, inquam, nisi ob Deicidium?

VII. Quid vitæ Christi, ac doctrinæ Evangelicæ sanctitas, quantam nulla secta professæ est unquam, cum ne verbi quidem otiosi licentiam, nedum cogitatus obscæni morulam toleret. Nulla sic ab infimis mentem abstrahit, nulla sic Deo devincit per orationem & charitatem.

VIII. Demonstratio est Evangelica ipsa Evangelii propagatio; Quis non judicet humanis conatibus esse magis quiddam quod pauculi piscatores, viles, indocti non armorum vi, vel fautorum ope, ac potentiâ, sed morte suâ, non illecebris sensuum, sed durissimo vivendi genere, non persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed stultitiâ crucis persuaserint. Quibus? sapientissimis, doctissimis, nobilissimis, a vitæ superstitioni addictissimis, in sæculo

6 CHRISTIFORMITAS,
politissimo, ac ingeniorum gloria flo-
rentissimo. quid? res ad fidem obscu-
rissimas supraque rationis captum
projectissimas, adeò ut ipsa fides vi-
deatur audax insania, puta Deum unū
esse ac Trinum, Jesum inter duos la-
trones cruci suffixum esse Deum, sum-
moque cultu adorandum, ac tam ar-
duo per Evangelicum illud odium sui
usque ad inimicorum dilectionem, ut
nil inolitæ morum licentiæ, aut sensu-
bus magis reluctetur. Hæc verò quan-
tum persuasere? ut sanguinem funde-
re non dubitaverint etiam plures un-
decim millionibus omnis conditionis,
ætatis ac sexus martyres: quo porro
exitu? ut eorum sanguis fuerit semen
Christianorum, ut in gloriam triumphi
cesserint illis etiam instrumenta sup-
plicii, ut orbis caput Roma Imperii que
sedes jam tota sit Petri piscatoris, ea-
demque regnet latiùs Religione divi-
nâ, quam olim dominatione terrenâ.

IX. Quid quòd illa Crucifixi fides
non

non modò inter duodecim Romanorum Imperatorum ducentis amplius annis aliorumque tyrannorum atrocissimè sævientium gladios, sed etiam inter domesticos innumerabilium hæresum, schismatum, scandalorum turbines, etiam ab Imperatoribus Christianis Juliano, Constantio, Valente & aliis, etiam ab ipsis qui videbantur esse columnæ Ecclesiæ Origine, Tertuliano, Hosio, &c. concitatos stetit, crevit, floruit? Illud autem quale est, aiebat B. Antonius, quòd numquam infestatione regali concussa gentilitas, imò sæculo chara, & hominum præfidiis fulta jam corruit, nos quòd premimur magis, eò magis assurgimus?

X. Quid illa tot sanctissimorum hominum vita, miracula contestatissima, libri quos legimus ad cœlestem ingenii, ac spiritus vim admiratione defixi?

XI. Quid indefessus hominum Apostolicorum labor usque ad martyriũ, qui zelo incredibili Crucifixum ad

8 CHRISTIFORMITAS,
extremos Indos, ad Antropophagos,
Brasilos, Canadenses, & quod non ho-
dieque deportant? an similem inter
Turcas, Ethnicos, suæ superstitionis
disseminandæ zelum reperies?

XII. Quid illa infinita tot Religioso-
rum ac Monialium examina, qui cum
deliciis ac divitiis frui possint, eligunt
vitæ genus durissimum, constanterque
tenent incredibili cum gaudio, tan-
tùm ut Christum vocantem sequan-
tur? Quales porro illi sint moribus, in-
genio, sat vita etiam in sæculo acta
(saltem ex quo vocantem sensere
Deum,) sat libri, quos edunt, sat fru-
ctus in Ecclesia uberes loquuntur, ne
plumbeos, ne Bellerephontæos ac Me-
lancholicos, ne opinationis præstigiis
delusos impii garriant. Digni scilicet
ipsi homines corruptissimis plerique
moribus, & voluptatibus corporeis
immerfi, quibus potius appareat veri-
tas quàm Religiosis illis integerrimæ
vitæ hominibus, non excolendo ven-
tri

tri ut illi, sed menti, quæ pars hominis præcipua est, ac veri capax addictissimis: utris quæso prudentius de Christo creditur? An his Christum expertis? an illis expertibus Christi, qui non iudicio rationis ducuntur, sed violento præiudicio pravæ affectionis rapiuntur, nil non absurdi devorantes uti veritatis manifestæ vim eludant? ô peccata cæca!

XIII. Huc pertinet illa stupenda profusio charitatis Christianæ, quæ genus quoddam est martyrii, & sanguinis (sic enim etiam pecuniam vocant) profusio, unde adeo ditatam, dotatamque videmus Ecclesiam, ut eam plus reddituum quotannis colligere non dubitem, quàm exegerint Imperatores olim Romani vel hodierni plures reges potentissimi. Quid illa tot Monasteriorum nostro etiam sæculo fundatio? quot ordines novi, quot renovati, quot sanctimonialium examina? his charitas Christi domos extruxit, his

affatim ad vitam dedit fremente licet
 hæresi. Quid illa mendicantium Reli-
 giosorum maximè S. Francisci susten-
 tatio mirabilis? Quid pauperum? præ-
 ter Xenodochia olim hodieque fun-
 data? Ad hæc quis non miretur Plato-
 nem, qualem Deus immortalis virum!
 ne oppidulum quidem potuisse Reipu-
 blicæ suæ legibus componere, Chri-
 stum è contrà universum orbem cruce
 domuisse, & familias multitudine in-
 finitas arctissimis Evangelii legibus
 & consiliis devinxisse, easque identi-
 dem reparare labantes spiritu divino
 vigorem illum pristinum excitante,
 contra quàm extra Ecclesiam evenire
 sectariis videmus. Hæc nimirum est vi-
 ctoria quæ vincit mundum, fides no-
 stra Dei hominis!

XIV. Placet etiam ex ore mendacii
 veritatem, ut ex leonis faucibus favum
 mellis, ad Christi gloriam exprime-
 re. Ipse Mahometes Pseudopropheta
 (quem suorum sectariorum præstan-
 tissimi

tissimi philosophi Avicenna & Averrois fatentur errasse in fine ultimo hoc est funditus, eum in voluptatibus corporeis constituendo: Ipse inquam Mahometes Jesum, Spiritum, & Verbum Dei, positum in admirationem gentium, patratores miraculorum appellat in Alcorano Azoara 4. 11. 12. 13. 31. ejusque doctrinam sufficere asserit ad salutem. Credunt Turcæ natum ex Virgine, quam & colunt, in cœlum ascendisse, (etsi mortuum fatuè negent,) unde non sepulchrum quidem, sed cætera loca sacra usque ad stuporem Christianorum venerantur, quæ visere solent Mechâ reduces peregrini, ut narrat Baudier lib. 4. Relig. Turc. Quid quod ut refert idem 5. Rel. Tur. c. 12. transtulere in primarium Hierosolymitanum fanum ex Oliveto vestigia Christi ascendentis in cœlum, (de quibus SS. Severus & Paulinus authores gravissimi scribunt,) unde & pulverem quotannis collectum, & in vase perho-

norificè reconditum summus eorum
 Mystes (Muphti vocant) Imperatori
 velut munus sacrosanctum offert? Quid
 ad Christi Jesu gloriam augustius,
 quàm pulveri vestigiorum capita ini-
 micorum suorum inclinari, ac velut
 scabellum pedum subsidere? ut in his
 etiam quotidie impleri credas illud
 Isaiaë cap. 60. *Venient ad te curvi filii eo-
 rum qui humiliaverunt te, & adorabunt
 vestigia pedum tuorum omnes qui detrahe-
 bant tibi.*

XV. Mahometis testimonio jungo
 Cacodamonas, qui ex Energumeno-
 rum corporibus in nomine Jesu eji-
 ciuntur, horrore, voce, fugâ filium Dei
 palam prædicantes.

Ad extremum, ut in summam omnia
 colligas, illud Pici Mirandulæ Comi-
 tis ex epist. ad Nepotem recole: Ma-
 gna profectò insania est Evangelio non
 credere, cujus veritatem sanguis Mar-
 tyrum clamat, Apostolicæ resonant
 voces, prodigia probant, ratio confir-
 mat,

mat, mundus testatur, elementa loquuntur, Dæmones confitentur.) Perge tu lector, & cum eodem ævi sui Augustino extasis teneat te studia, & meras insanias plurimorum Christianorum cogitantem ac lugentem; & subscribe ita scribenti, sed longè major insania si de Evangelii veritate non dubites, vivere tamen quasi de ejus falsitate non dubitares.

CAPUT II.

Multiplex convenientia Incarnationis.

JUverit plurimum ad illustrandam fidem Incarnationis multas graveſque illius causas expendere; quas chorus Angelicus (præcentore sine dubio Gabriele) complexus est paucis gloriam Deo, pacem hominibus continens. Utramque tu seorsum vide.

§. I.

GLoria Dei ac perfectiones ejus elucent maximè in hoc mysterio, adeo ut Christus magna sit illa gloria, de qua in Angelico hymno ab Ecclesia

A 7

cani-